



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Tit. XV. De translatione Episcopi, & renuntiatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## DE TRANSLATIONE EPISCOPI, ET DE RENUNTIATIONE.

## TITULUS XV.

**T**ametſi Episcopus Ecclesiæ suæ spirituali conjugio alligatus sit, c. 2, s. 3, ext. *De transl. episc.* nihilominus apud SS. Canones obtinuit, ut suadente necessitate vel utilitate Episcopus ad aliam Ecclesiam transire, vel Episcopato suo se abdicare possit, *can. Mutationes 34, cum c. seq. v. 1, q. 3, c. Nisi 10, ext. De renuntiat. verum utroque casu S. Pontificis auctoritate opus est, ad quem spectat hujus matrimonii dissolutio, jam dictis jurib.*

## §. 1. De pena in episcopos transeuntes sponte suâ ad alium episcopatum.

In transeuntem sponte suâ hoc rescriptum pœnale extat Leonis Papæ ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, in hæc verba: Si quis Episcopus, mediocritate civitatis suæ despectâ, administrationem celebrioris loci ambierit, & ad majorem plebem se quacumque ratione transfulerit, non solum à cathedra quidem pellatur aliena, sed carebit & propriâ; ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprexit, *res. est in can. Si quis episcopatus v. 1, q. 1, Quâ rescripti pœnâ animadversum est ab Innocentio II, in Episcopum Hildesimensem, res. in c. 3, ext. De transl. episc.* Ad eoque alieni Episcopatus affectatio odiosa est SS. Canonibus, ut ne quidem Archiepiscopus auctoritate Patriarchæ, ne dicam privarâ, ad inferiorem Episcopatum possit descendere, c. 2, ext. *De transl. episc. a.*

## §. 2. Episcopus ex quibus causis possit renuntiare,

Solet autem Episcopo abdicasse Episcopatu ex his causis: annuere S. Pontifex, vel propter nimiam corporis imbecillitatem, vel propter conscientiam admissi delicti, quod executionem officii, etiam peractâ pœnitentiâ, impedit, ut sunt homicidium & simonia: vel propter defectum scientiæ necessariæ; vel propter perniciam subditorum; vel propter grave scandalum: vel propter irregularitatem, veluti bigamiam, d. c. Nisi 10, ext. *De renunt. junctis iis, qua ibid. dâ, tradunt, vel denique propter mortis metum imminentis, c. Ad supplicationem 9, ext. De renunt.*

## §. 3. De Abbatibus &amp; Clericis renuntiantibus.

In Abbatibus, aliisque Clericis, id juris est, quod nec hi dignitatibus vel beneficiis suis renuntiare possint, inconsulto Episcopo suo, *can. Abbas pro humilitione xvii, q. 2, c. 4, c. c. fin. ext. De renunt. juncto can. fin. xvi, q. 8, nisi forte aliud privilegio, aut consuetudine loci receptum sit; quibus certum est, juribus Episcopalibus derogari posse, per tex. in c. Accedentib. 12, & ibi Gloss. ext. De excess. pralat. c. Auditis 15, c. Cum olim 18, ext. De prescript.*

## §. 4. Admissâ renuntiatione locus non est pœnitentiæ.

Semel verò cedendi licentiâ impetratâ à Superiore, etiam per procuratorem, nullus amplius pœnitentiæ locus est, c. Quidam 11, ubi & ratio redditur, ext. *De renuntiat.* etiam si procuratoris mandatum medio tempore revocatum fuerit; dummodò procurator, vel is, cui cessio insinuanda erat, revocationem ignoraverint, neque per fraudem ea suppressa fuerit, c. unico *De renunt. in Clem.*

## §. 5. De renuntiatione Summi Pontificis.

Cæterum de S. Pontifice aliquando hæsitatum fuit, an is Pontificatus suo renuntiare possit? Sed obtinuit, posse, ex constitutione Cælestini V, in c. 1, *De renuntiat. lib. 6.*

## §. 6. Continuatio ad sequentia.

His itaque præmissis, ad Clericorum officia, prout supra promisimus, *De officiis Cleric. in primo, juncto §. ult. in fine,* digrediamur: quorum primum & maximum est Episcoporum, qui Ordinarii proprie vocantur.

## Notatio in tit. 15:

a *Licet tex. in d. c. 1. Ext. de transl. episcop. nullius pœna meminit, tamen ex ratione ejusdem textus constat, translationem fuisse nullius momenti: aut certe Summum Pontificem eam tacitè permisisse, arg. c.*

Nonne, ext. *De presumpt. & l. Cum prætor D, De judic.*

DE